AUTHOR:

PETERSEN, EUGEN

TITLE:

DE PHILOCTETA EURIPIDIS ...

PLACE:

ERLANGAE

DATE:

1862

Master Negative #

93-81175-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Petersen, Eugen, 1836-1919.
De Philocteta Euripidea ... Erlangae, typis Adolphi Ernesti Junge, 1862.
16 p. 22 cm.

Thesis. Erlangen.
Volume of pamphlets

~~Copy in Classics Reading Room.~~

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-18-93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

PHILOCTETA EURIPIDEA.

DISSERTATIONEM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

AD

FACULTATEM DOCENDI

IMPETRANDAM

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICO - ALEXANDRINA ERLANGENSI

CONSCRIPSIT

EUGENIUS PETERSEN

Dr. phil.

ERLANGAE, 1862.

TYPIS ADOLPHI ERNESTI JUNGE.

Cum tot tragoediis easdem fabulas a tribus illis graecae tragoediae principibus tractatas esse constet, tamen quam diversa fuerit singulorum ars in eadem fabula adornanda, uno tantum exemplo explorare possumus, matricidium dico Orestis. Summi hoc momenti esse, qui neget, nec gratum animum ostendat nec prudentem. Verum quae ita institui potest conparatio, non prorsus aequa est, quoniam Choephoroe et Electra Aeschyli et Sophoclis fabulis adnumerari solent optimis, euripidea autem Electra inter huius fabulas ultimum fere locum obtinet. Itaque satis felici casu accidit, ut, qui nobis felicior tres Philoctetas triumvirorum illorum legeret, Dio Chrysostomus, conparationem earum institueret. Atque Philocteta cum Medea una commissa in scenam, egregium euripideae artis specimen fuisse videtur, praeterea autem huius conparationis singulare commodum est, quod, cum Electra sophoclea ante euripideam acta fuisse videatur, Philoctetae inverso ordine prodierunt, sophoclea amplius viginti post euripideam annos. Jam vero, ut et ipsi iudicium feramus, neque Dionis tantum verba repetamus, ante omnia reficiendae sunt, quantum fieri potest, fabulae deperditae. Atque de euripidea quae rectius quam antea statui possint, hisce pagellis expedire conabor.

Prologum idem Dio alia oratione (59) tam copiose enarravit, ut nisi ipsa poetae verba — et est ubi haec quoque deprehenderunt viri docti — nihil desideres. Prodit igitur Ulysses secum agens primum, itaque spectatoribus ingenium suum atque naturam aperiens, dum propter gloriam et sapientiae famam semper nova pericula novaque negotia subire se narrat, quale negotium sit Philoctetae abductio raptusque telorum. Enarrat se clam ducibus hoc munus suscepisse, cum Heleni vaticinio una haec Trojae expugnan-

dae via monstrata esset, sed non sine Minervae tutela, immo ab ea mutatum forma se venisse. Accedit Philocteta qui, cum Ulysses Graecum se esse et cum Atridis Trojam profectum dicit, paene telis eum adgreditur, sed mox mitigatur, cum ille Palamedis socium se, Ulyssi autem atque Atridis infensum esse addit, simul miserum Palamedis exitum exponens. Petit adeo auxilium a Philocteta, qui monstrata propria inopia atque miseria invitat Ulyssem, ut vitae suae particeps fiat, dum salutis viam expediat. — Huc pertinent fragmenta 785—788 et 791 (ed. Nauck.). Quae omnia plana sunt nullique dubitationi obnoxia. Minus certa reliqua et argumentatione sola probanda.

De hac, ut de omnibus fere fabulis deperditis inprimis bene meritus est Welckerus[1]), qui qualem sibi finxerit progressum, paucis exponam. Post chori parodum Philoctetam contendit novae morbi temptationi succubuisse, ut Ulysses arcu potiri posset, id quod Philoctetam etiam remissa vi morbi lateret. Postea intrasse legatos Trojanos, qui illum donis magnisque promissis commovere conarentur, ut Trojam secum proficisceretur. Qui cum contumelias in Graecos iacerent, quibus hos illi magis invisos redderent, tum Ulyssem mentis parum compotem, parumque prioris consili memorem prorupisse, prodidisse se et Graecos defendisse. Neque hoc periculum ei adtulisse, qui arcum iam teneret. Refutatos igitur ab eo Trojanos, et Philoctetae persuasum esse, ut Graecis ignosceret atque propriae gloriae studeret.

Quorum, quae minus recte vir celeberrimus constituisse videtur, Hartungus[2]) certe non correxit, quem ratione non optima egisse credo, quod non tam eis, quae ex fragmentis

---

1) Die griechischen Tragödien II. p. 512 sqq.

2) Euripides restitutus I. p. 348 sqq. Quocum ubique fere consentit Wagnerus in editione fragmentorum euripideorum Didotiana.

ceterisque testimoniis erui poterant, pro fundamento statutis, reliqua divinatione explere conatus est, sed primum videtur aliquem fabulae progressum mente sibi finxisse, in quem fragmenta postea insereret. Cuius rei, ut unum exemplum afferam, videas, quae p. 357 commentus est, ut locum adsignaret fragmento cognominis fabulae Attianae:

heu Mulciber
arma ignavo es invicta fabricatus manu.

Ille scilicet Philoctetam facit Diomedi, qui aperte rem suam agat, respondentem, ab Ulysse non a se quaerant auxilium. Cui ex Hartungi sententia Diomedes respondet, Ulyssem nihil nisi reipublicae salutem curare, atque etiam iudicio principum dignum habitum esse, qui armis Achillis donaretur. Eo commotum illa exclamasse Philoctetam. Scitum sane responsum, quod in interrogationem minime quadrat, quoque ineptius excogitari vix poterat ab eo, qui conciliare, non exacerbare vellet Philoctetam. Totius autem fabulae compositio apud eum, tragico poeta indigna, non unam nobis actionem continuam repraesentat, homines autem ineptos omnes, qui propria consilia ipsi evertunt sine ulla agendi ratione perspicua.

In quorum errorum partem eo perductus est, quod Attianam fabulam de nostra expressam habuit, Quinctiliani verbis, quae sunt X, 5, 84 nisus, perperam explicatis, quamquam, quae ab euripideo exemplo dissentiunt, haud pauca inveniuntur, velut v. 540 (ed. Ribbeck.)

pro veste pinnis membra textis contegit,

cum apud Euripidem teste Dione (59, 5) non pennis sed pellibus vestitus procedat; vel Atti versus 541, qui, quod Hartungum minime fugit, Ulyssi tribuendus, sed nisi in initio, locum habere non potest. Frustra vero in paraphrasi Dionis circumspicias, quae illis conveniant, quamvis confidenter Hartungus post verba *ἀλλα· σὺ ἄμυνον ὦ δέσποιν' Ἀθηνᾶ, καὶ μὴ μάτην φανῇς ἡμῖν ὑποσχομένη τὴν σω-*

τηρίαν, inseri iubeat. Licet enim rhetor omiserit illa, quod non admodum probabile est, post invocationem deae cum maxime ieiuna illa essent, immo ne rerum quidem statui convenirent, quoniam, qui illa diceret, eum adire alterum verbisque adloqui, iure expectares, quod secus illic. Bene praeterea Ribbeckius p. 310 chorum non in Philoctetam primum, sed in Ulyssem incidisse concludit ex anapaestis vv. 525 sqq., quos Hartungus vereor ut recte intellexerit, Ribbeckius a choro ad Ulyssem directos esse vult [3]). Quibus addi potest, item cum Actore, siquidem hunc in v. 536 sqq. partes egisse statuimus, Ulyssem congressum esse, antequam Philoctetam conspiceret [4]), quae nova utriusque poetae discrepantia existit. Neque omnino tale Ulyssis (hunc enim designat v. 541 et fortasse etiam v. 542 sq.) Actorisque colloquium apud Euripidem locum habuisse potest. Si igitur quaedam Euripidi debuit Attius, de quibus cf. Ribbeckius p. 311, tamen alia sat multa a Sophocle vel Aeschylo sumpsit, ut taceam de propriis inventis, ita ut certe ad euripideam fabulam reficiendam fragmentis attianis uti minime liceat.

Schoellius nec in antiquiore libro Beiträge zur Kenntniss der griechischen Litteratur p. 142 sqq., neque in recentiore Gründlicher Unterricht über die Tetralogie des attischen Theaters p. 60 sq. de singulis fabulae partibus alia fere protulit, nisi quae Welckerus.

Ut igitur ad Welckerum redeam, nimis simplex ille actionis progressus videtur nimisque dissimilis subtilitati euri-

---

3) Non omnino mihi constat chori hos versus esse, quem praeter Ulyssis comites, qui quidem dominum salutant v. 520—524, introduxisset poeta necesse esset. Talis autem *παραχορηγήματος* vix idonea causa perspicitur. Nonne anapaestis illis Ulysses comiti suo Diomedi res exponere potuit? Nam Ulyssem certe a suis comitibus haec discere non decet.

4) Errat Hartungus, non eidem colloquio haec tribuens.

pideae, quam vel in hoc dramate agnovit Dio. Quid, quod subito renovatos morbi cruciatus voluit, nulla re excitatos, neque aliam ob causam, nisi ut Ulyssi occasionem daret arcus potiundi? Profecto si tam facile negotium Ulyssi parare voluit, non opus erat prologo callidum et versutum eius animum describeret. Illud quidem verissime Welckerus contendit, Ulyssem telorum compotem factum esse, priusquam se detegeret, et recte probavit hanc sententiam Dionis verbis (52 init.) ubi, quod Aeschylo, Sophocli, Euripidi commune fuerit, dicit *ἦν γὰρ ἡ Φιλοκτήτου τόξων εἴτε κλοπὴν εἴτε ἁρπαγην δεῖ λέγειν.* Atque gravius huius rei testimonium ex ipsius poetae verbis elicere mihi visus sum (fr. 789)

ἄλις ὦ βιοτά· πέραινε πρίν τινα συντυχίαν
ἢ κτεάτεσσιν ἐμοῖς ἢ σώματι τῷδε γενέσθαι.

Facili enim opera ex Aeschyli et Sophoclis nec non ex Euripidis fabulis similes chori formulas loquendi multas colligas, quibus ille solet de rebus modo gestis sententiam suam proferens votum addere, atque talia, qualia in scena heroibus accidere viderit, sibimet ipsi aut optare ut eveniant, aut ne eveniant deprecari. Ita in Alcestide, postquam pro marito voluntariam mortem subire vidit reginam, talem sibi uxorem exoptat addens v. 474

ἦ γὰρ ἄν ἔμοιγ' ἄλυπος
δι' αἰῶνος ἂν ξυνείη.

Hoc unum enim Admeto deesse modo adparuit. Sic in Hippolyto v. 528 sq. detecto insano Phaedrae amore Venerem inplorat

μή μοί ποτε σὺν κακῷ φανείης
μηδ' ἄρρυθμος ἔλθοις.

Quibus similia sunt in eadem fabula v. 1111 sqq., in Jone v. 485 sqq., in Iphigenia aulidensi v. 550 sqq. alibi. Atque ut e versibus Medeae 637 sqq., quibus nimios amores deprecatus, ita chorus pergit

μηδέ ποτ' ἀμφιλόγους ὀρ-
γας ἀκόρεστά τε νείκη
θυμον ἐκπλήξασ' ἑτέροις ἐπὶ λέκτροις
προσβάλοι δεινὰ Κύπρις,

si hoc unum eius fabulae fragmentum superesset, certissimam coniecturam faceremus, proxima scena Medeam cum Jasone litigasse, ita in nostra fabula illa, quae ne sibi accidant, chorus optat, Philoctetae accidisse elucet. Simul autem utrumque accidisse admodum probabile est vel propterea, quod, nisi in scena morbum renovatum vidissent, non poterant ita illum plangere, ei qui t u n c p r i m u m Philoctetam visebant. Erat igitur pars haec stasimi, quod inter duos actus intercedebat. Jam vide utrum cum Welckero de prioris actus fine sentias, an mecum. Num veri tibi similis videtur talis progressus, ut Philocteta fortuito morbo opprimatur, dein Ulysses arcum furetur, et tum demum chorus, qui haec omnia fieri passus sit, Philoctetam plangat? Nonne multo magis tragica arte dignum est, eique verisimilitudini, cui maxime Euripidem studuisse videmus, magis congruum, Philoctetae, ereptis telis, ultimo subsidio, ira, odio, desperatione novam morbi accessionem paratam esse, qua cum fractus velut mortuus iaceret, aptum cantico spatium existeret? Accedit breve fragmentum 798

ἀπέπνευσεν αἰῶνα

de Philocteta dictum, quod eidem loco et eidem stasimo tribui necesse est. Hoc autem si ab ipsa morbi accessione separatur, intercedente telorum raptu, vides, quam tarda veniat miseratio. Ulyssem porro si non tacito furtum conmisisse velit, sed cum choro de eo disseruisse concedere debeat Welckerus, tum omnino inepta deploratio sit. Haec si certa est, non potest praecedere ille quem statuit Welckerus rerum ordo, sed telorum raptum sequatur morbus oportet, hunc carmen excipiat, quo miseram Philoctetae sortem chorus plangit.

Jam vero si vigili et attento arcum Ulysses eripuit, singulari quadam fraude opus erat. Et fraude cum usum esse confirmat Dio, excludens simplicem illam, quae Welckero placuit, rationem. Dicit enim de aeschylea Philocteta *καὶ μην ἡ ἀ π ά τ η ἡ τοῦ Ὀδυσσέως προς τὸν Φιλοκτήτην καὶ οἱ λ ό γ ο ι δι' ὧν προσηγάγετο αὐτὸν, οὐ μόνον εὐσχημονέστεροι . . . ἀλλ' ὡς ἐμοὶ δοκοῦσι καὶ πιθανώτεροι,* ubi *ἡ ἀπάτη* et *οἱ λόγοι* diversa esse proxima monstrant. Nam verba *τί γάρ δεῖ ποικίλης τέχνης καὶ ἐπιβουλῆς προς ἄνδρα νοσοῦντα καὶ ταῦτα τοξότην ..... καὶ τὸ ἀπαγγέλλειν δὲ τὰς τῶν Ἀχαιῶν συμφορὰς καὶ τὸν Ἀγαμέμνονα τεθνηκότα,* aperte duas res conprehendunt, priora ipsum dolum, quo arcum caperet, posteriora narrationem, qua Philoctetae sese commendaret, quibus respondent *ἀπάτη* et *λόγοι.* Teneas autem per totam aeschyleae fabulae enarrationem rhetori semper euripideam menti obversari, ut illa *ποικίλης τέχνης καὶ ἐπιβουλῆς,* quae bene repudiaverit Aeschylus, Euripidem fabulae suae adornandae adhibuisse intellegas. Ac vel inde diversa esse *ἀπάτη* et *λόγοι* adparet, nam ad narrationem quod adtinet, non video Aeschylo subtiliorem vel argutiorem Euripidem fuisse. Quem quidem etruscae artis nonnulla monumenta huius facti progressum repraesentant [5]), qui ad Euripidem referendum ducat, ei non adsentio, quod neque fraudem satis callidam conspicimus, nec

5) Cf. Overbeck H e r o i s c h e G a l l e r i e p. 575 sqq., qui erravit haud dubie cum Rochettio, quem citat, ad Sophoclis fabulam ab Attio repetitam omnia illa monumenta referens. Quod quidem primo loco exemplar posuit, non repugnat, cetera omnia, atque secundum videbis cum mea euripideae fabulae expositione convenire. Tertium et quartum, quae Diomedem (?) vel alium quemvis comitum ostendunt tela rapientem, dum Philoctetae animus avertitur Ulyssis oratione in illo, in hoc lavatione, quam illius comites parare videntur, haec fortasse Aeschylum sequuntur. (Cf. quae modo citavi *καὶ τὸ ἀπαγγέλλειν* cet.).

certum illius originis indicium, atque alios in hac re non modo praesentes sed adeo agentes videre contradicit Euripidi. Nam Diomedem quidem una cum Ulysse profectum esse ex Euripide Dio affert, sed partes egisse negat scholiasta ad Sophoclis Philoctetam v. 1. παρ' ὅσον ὁ μὲν Εὐριπίδης πάντα τῷ Ὀδυσσεῖ περιτίθησιν, οὗτος δὲ (Sophocles) τον Νεοπτόλεμον παρεισάγει.

Ut igitur fraudem ab Euripide inventam cognoscamus alia vestigia sequemur, quae monstravit Welckerus, ipse non recte eis usus. Verba sunt Himerii (or. 14 init.), non nimis plana ea et distincta, quae huc transscribam ἐπόθησάν ποτε καὶ Φιλοκτήτην μετὰ την νόσον οἱ Ἕλληνες, καὶ πολλὰ τοῖς θεοῖς ηὔξαντο· ὁ δὲ λωφήσαντος [6]) αὐτῷ τοῦ πάθους λαβων εἰς χεῖρας τὰ τόξα ἐζήτει μαθεῖν, εἰ πέμπει πάλιν φιλόσκοπος. Φιλοκτήτην μὲν οὖν ἐκεῖνον καὶ ἐπὶ τὸν ἆθλον ἤγειρεν Ὀδυσσεὺς παρὼν [7]) καὶ διδους τῆς τέχνης τὸ σύνθημα. Quae probante Hartungo ad finem fabulae Welckerus refert, Philoctetam dicens postremo mitigatum excitari ab Ulysse, ut arcum probet et experiatur antiquam eius vim, id quod frigidius et actificiosius mihi videtur, neque adcurata interpretatione verborum probatur, neque tandem conparari potest cum Ulysse, qui in Odyssea arcum experiatur. Nam ibi cur hoc faciat elucet, hic causam desideramus, quod et Philocteta arcum norat, nec ignorabat Ulysses.

Pergit illo loco rhetor eundem Ulyssem etiam Homeri carmina fere universa occupare, quo primum etiam illud e poetico opere derivatum esse affirmatur, utroque autem loco, *primas eum partes* agere, quod in cohortationem

---

6) Jam Wernsdorfius animadvertit verbo λωφήσαντος indicari Euripidem, cum in paraphrasi Dionis (59, 11) ita Philocteta de se loquatur καίτοι λελώφηκε τῷ χρόνῳ τὸ πολὺ τῆς νόσου.

7) Hoc iubet nos de Lemno cogitare.

illam, quae nullius momenti est, parum quadrat. Graviora sequuntur haec τῆς μὲν οὖν Φιλοκτήτου νίκης, καὶ ὅσα κατα τήν Τροίαν εἰργάζετο τοξεύων οὗτος ὁ Φιλοκτήτης, Ὀδυσσεὺς ἐλάμβανε την αἰτίαν παρ' Ἕλλησιν. Apertissime enim de lemniae expeditionis *summa* loquitur, propter quam Philoctetae iterum pugnantis praeclare facta ad Ulyssem auctorem relata sint. Quamvis autem ipsius Philoctetae praesentia Graecis opus esset, tamen difficillima res erat arcum capere. Possit quidem contendere aliquis summam expeditionis exprimi illis Φιλοκτήτην μὲν οὖν ἐκεῖνον — σύνθημα, ita ut rhetor voluerit dicere: „Philoctetam quidem illum Ulysses ad certamen excitavit praesens fraudemque ipse conponens.“ Ita vero totam rhetoris sententiam funditus everteres. Conparat enim ille semet ipsum a familiari suo, ut scribat aliquid, admonitum cum Philocteta excitato ab Ulysse, quod clarius postea exponit hisce σὺ δὲ ἡμᾶς, ὦ φίλος οὐχ Ἡρακλέους [βέλη], μέλη δὲ τὰ Μουσῶν λαβόντας κελεύεις τοξεύειν. Ac vides praeterea quam male excitandi notio cum fraude coeat. Dirimi igitur verba non possunt, neque metaphorice intellegi, sed revera tela manu prehendit Philocteta ut experiatur ea, simul dicens εἰ πέμπει πάλιν φιλόσκοπα (ita enim corrigendum). Ut tandem et ἆθλον verbum, et ultima καὶ διδοὺς τῆς τέχνης το σύνθημα, quae alteram interpretationem invita patiebantur, recte intellegantur, ita ego verto: „Philoctetam quidem illum Ulysses ad certamen provocavit praesens, artisque symbolum proponens.“ Ecce fraudem habes, quae et calliditati Ulyssis, et subtilitati poetae respondeat, et quae facile ei in mentem venire potuit, qui apud Homerum (Od. 8, 219) artis sagittariae peritissimum se soloque Philocteta inferiorem esse Ulyssem dicere meminisset.

Credo igitur post chori parodum Ulyssem invitatum a Philocteta, ut vitae victusque interim particeps fieret, primum de arcu interrogasse, dubitasse de Philoctetae arte, propriam iactasse, dein provocasse ad certamen scopo definito, itaque

arcum in manus ei venisse. Tum vero nomen professum esse, quippe qui Philoctetam non adeo insanum fore speraret, ut fame mori, quam, licet invitus, in gratiam redire cum Graecis sibique gloriam aeternam parare mallet. Philocteta autem iterum deceptum se videns, et ab eodem viro omnium maxime inviso, mortem praefert. Furorem eius et desperationem morbi accessio secuta est. Ulyssem abisse credo, atque hic quidem Diomedem nominasse conicio, indicantem scilicet, se cum illo rediturum ac vel invitum Philoctetam abducturum.

Post stasimum intrarunt haud dubie Troiani, antea fortasse ab Actore lemnio Philoctetae amico, quae persona haud scio an non gravioris momenti fuerit, adventu nunciato, neque dissimile veri Philoctetam expergefactum solum monodia vel cum choro, postea cum Actore miserias conquestum esse. Fortasse etiam Trojanorum adventu augeri mala sua primum suspicabatur. Itaque doloribus excruciatus, ultimo subsidio spoliatus iam in eo esse videtur, ut aut in Graecorum manus cadat aut in barbarorum, qui omnes ei aeque invisi. Ecce vero Trojani non iam hostes sed amici prodeunt, dona et summum adeo inperium offerentes [8]). Iterum spectatorum animi suspensi haerent, metuuntque ne Ulysses, cui faveant necesse est, ipse rem suam perdiderit, ne Philocteta odio exasperatus hostes faciat amicos. Atque hic quidem rerum cardo; haec optima occasio, qua Philoctetae animus et natura patefiant. Ea tamen ita usum esse poetam, ut nobilem virum depingeret et constantem, prorsus mihi persuasum est. Ut enim, quid Euripidi in hac fabula tribuas, bene perpendas, iterum Medeae aequalem esse monendum videtur.

---

8) Cf. Dionis or. 52, 13 et 59, 4., item fr. 792.
ὁρᾶτε δ' ὡς κἀν θεοῖσι κερδαίνειν καλόν,
θαυμάζεται δ' ὁ πλεῖστον ἐν ναοῖς ἔχων
χρυσόν· τί δῆτα καὶ σὲ κωλύει [λαβεῖν]
κέρδος, παρόν γε κἀξομοιοῦσθαι θεοῖς;

Sed quid tandem aspernatum esse Philoctetam suadet? Welckerus quidem fr. 793 ad responsum ab eo Troianis datum referri iubet, at vereor ut recte. Primum enim Paridem, seu quemcunque venisse putas, propter subtilitatem vel in quattuor illis versibus fr. 792 manifestam, de oraculo tacuisse suspicor, deinde illa *τί δῆτα* significant, in eis, quae praecedebant, dissensum oraculorum patefecisse Philoctetam, quo vanitatem eorum probaret; verum quî Trojanis hoc demonstraverit non intellego, contra de Graecis infra dicam [9]). Ego huc traho fragmentum, quod apud Nauckium inter adespota est octavum, a Welckero Ulyssi datum, ut hoc ipso silentium rumperet, huc usque Philoctetae non minus quam Troianis incognitus,

ὑπέρ γε μέντοι παντὸς Ἑλλήνων στρατοῦ
αἶσχρον σιωπᾶν, βαρβάρους δ' ἐᾶν λέγειν.

Quae de hoc versu tradidit Cicero de orat. 3, 35, 141 „versumque quendam de Philocteta paullo secus dixit; (Aristoteles); ille enim turpe sibi ait esse tacere" cet., in eis audacius erat pronomen „ille" non ad Philoctetam referre, sed ad Ulyssem, antea non nominatum. Et ubi tandem prudentia Ulyssis? adeone inmemorem eius ingenii poetam fuisse credis, ut tam temere agentem nobis proponeret, quoque Neoptolemus non esset inconsultior, atque in hoc quidem rerum statu, cum nihil accideret, quod non ipse praevidisset?

Philoctetam contra optime decent. Longam Trojani orationem tacens audivit, quo ille praemiorum splendorem, Lemni inmanitatem, Troianorum benevolentiam, crudelitatem Graecorum depingebat. Tum Philocteta, quamvis acerbus Atridarum, Ulyssis, Diomedis osor, adversus barbaros tamen universi populi rem defendit. Dum in eo res est, redit Ulysses cum Diomede, nam certum est, illum cum Paride

---

9) Vidit hoc Hartungus 1 p. 257, qui Graecos haec verba spectare vult, sed quod ille alterum oraculum citat de expositione Philoctetae, mihi quidem ignotum id est.

coram Philocteta verbis decertasse, cum Paris Graecos, inprimis Ulyssem accusaret, quaeque in Philoctetam peccassent, enarraret. Ulysses defendit se, eaque qua pollebat facundia, non amovisse tantum convicia, sed etiam in bene facta convertisse, fidem facit ars euripidea. Certum testimonium superest initium defensionis contra Trojanum fr. 794, quae verba licet pluribus mendis laborent, illustrantur verbis Aristotelis, qui (rhet. ad Alex. c. 19) figurae rhetoricae, quae dicitur *προκατάληψις*, exemplum hoc citavit:

λέξω δ' ἐγω κἄν μου διαφθείρας δοκῇ
λόγους, ὑποστας αὐτος ἠδικηκέναι·
ἀλλ' ἐξ ἐμοῦ γαρ τἀμὰ μαθήσει κλύων,
ὁ δ' αὐτὸς αὑτὸν ἐμφανιεῖ σοι λέγων.

Unde cum sequatur, Paridem in deterius vertisse argumenta, quibus Ulyssem usurum praevideret, hic illi a principio notus fuerit necesse est. Atque, ut postremum illud tangam, intellegis, quam sit necessarium, ut et telorum raptus et nomen Ulyssis antea patefacta sint, ne, qui eo excitantur affectus vehementiores, interrumpant totam actionem.

Philoctetae neuter persuasit. Troianos acrius etiam quam antea repudiavit adeo, ut decederent. Quibus in Ulyssem et Graecos invectus est, eorum partem habemus fr. 793

τί δῆτα, θάκοις μαντικοῖς ἐνημένοι,
σαφῶς διόμνυσθ' εἰδέναι τὰ δαιμόνων,
οἱ τῶνδε χειρώνακτες ἄνθρωποι λόγων;
ὅστις γὰρ αὐχεῖ θεῶν ἐπίστασθαι πέρι,
οὐδέν τι μᾶλλον οἶδεν ἢ πείθει λέγων [10]).

10) Versu primo *μαντικοῖς* pro *ἀργικοῖς* feliciter Nauckius restituit. Cf. Eur. Bacch. 347 et Soph. Ant. 999. Quae praeterea coniecit minus probo. Versu enim tertio *οὐ τῶνδε* non stat, quod sententia ita mente supplenda esset: sed dei *χειρώνακτες* sunt, ut in deos eadem irrisio caderet. Sed fortasse *ἀνθρώποις* scribendum est. Aeque perversum *πείθειν* v. 5, quod non persuadent illi, sed conantur tantummodo.

Dixi, in eis, quae praecederent, oraculorum inter se contradicentium vanitatem a Philocteta monstratam esse. Debuit enim ei novo de Trojae excidio edito vaticinio in mentem revocari antiquum illud, quo sacrificium Chrysae deae offerendum inperatum erat, et quo in has miserias abiectum se ipsum videbat. Cuius oraculi in prologo quoque Philoctetam meminisse Dio testatur 59, 9.

Fragmentum 796

ὥσπερ δὲ θνητον καὶ το σῶμ' ἡμῶν ἔφυ,
οὕτω προσήκει μηδὲ τὴν ὀργην ἔχειν
ἀθάνατον, ὅστις σωφρονεῖν ἐπίσταται

quo Philoctetam Ulysses cohortatur, possis longiori huius orationi vindicare, possis etiam ei diverbio, quod fere semper Euripides sequi facit orationes.

Quod ad finem adtinet, Welckerus omnibus probasse videtur, oratione placatam esse Philoctetae iram, ac sine machina nodum solutum esse. Effecit id Hygini testimonio, quod sane fidei satis ambiguae est. Ex Euripide quidem, quae fabulae 102 altera saltem parte narravit, sumpsisse eum constat, sed tam breviter, tamque neglegenter exposuit, ut non liceat eius auctoritate probare res per se minime probabiles. Aspice verba: „tunc Agamemnon Ulyssem et Diomedem exploratores ad eum misit, qui persuaserunt ut in gratiam rediret, et ad expugnandam Troiam auxilio esset, eumque secum abstulerunt.“ Gravissimum errorem de Agamemnone expeditionis auctore coarguit Dio 59, 3, ubi Ulysses dicit *προς μὲν δη τους βασιλέας οὐχ ὡμολόγησα την πρᾶξιν.* Profecto minoris neglegentiae erat, oratione adductum dicere Philoctetam, quamvis numini tantum cederet. Equidem certe non perspicio, quibus tandem blandimentis Philoctetam conmovere potuisset, qui quidem de futura eius sanatione, quae debebat pronunciari, nihil conpertum haberet. Neque apud Euripidem locum novi, ubi talis adversariorum oppositio oratione solvatur. Immo, quaecunque Welckerus argumenta adhibuit,

ut in aeschylea Philocteta, de qua, quod huc faciat, scimus nihil, dei interventu nodum solutum esse suaderet[11]), ea omnia de euripidea fabula aeque valent. Ac, puto, adsentit mihi ipse Euripides. Fragmento 797

φεῦ μήποτ' εἴην ἄλλο πλὴν θεοῖς φίλος
ὡς πᾶν τελοῦσι κἂν βραδύνωσιν χρόνῳ.

Chorum facile agnoscis. Versu altero non de poenis agi, sed de praemiis, cum verbo τελεῖν significatur, tum illis πλὴν θεοῖς φίλος; aut inconcinna esset oratio, et ita potius dicendum fuisset „ne unquam Deos offendam," quoniam aliud haud dubie carere deorum amicitia, aliud malefactis eorum numen laedere, poenasque mereri. Φεῦ denique admiratione, non indignatione provocatum saepe legi notum est. Dicit igitur „heu, utinam semper Dis sim gratus, qui, quamvis tarde, omnia tamen ad felicem eventum perducunt." Quae vereor ut aptum locum inveniant nisi in fine fabulae, ibi vero optime se habent, et intelleguntur facillime de Philocteta qui post decem longos annos, extremae miseriae plenos, postremo deorum favore liberatus est doloribus, ad vitam gloriosam revocatus. Sed ut haec diceret chorus a deo de eventu certior factus esset, necesse erat. Si aegrotum abducerent nulla salutis spe, non posset illa chorus de eo praedicare. Atque monstratur quodammodo digitis deus ex machina, verbis θεοῖς φίλος, propter quae non Herculem potius, quam Minervam conparuisse credo, cuius numine totam expeditionem regi, prologus declaraverat. Ea igitur oraculorum fidem confirmavit, Ulyssem de communi Graecorum re et olim, et tum optime meritum esse demonstravit, Philoctetae denique salutem et victoriam praenunciavit.

---

11) Cf. Museum rhenanum V. (a. 1837) p. 477.